

Symptoma itaq; *in tactu est*, sed depravato & corrupto: fit enim cum violentia. *Genus* adæquatum esse censemus, cum formalem doloris rationem exhauriat. Dolor enim cum afficit, sensationem efficit, quia verò cum violentia, eandem dicimus tristem, corruptam, depravatam, quod ipsum dudum *Galenus* (a) etiam docuit: *Dolor, inquiens, tristis sensus est, sicuti voluptas blandus est sensus.* *Subjectum esse κῶλον* superioribus etiam notatum est. Est verò *secundum omnes partes*, frequentius equidem aliis *secundum principium*, aliis *secundum medium sive sinistram situs regionem*. Fuere quidem olim, *Galeno* (b) teste, qui omninò negavere, in sinistris partibus colicam dispositionem evenire posse. Verùm iisdem contrariatur, tum *autoritas*, tum *ratio*.

(a) 2. d. loc. aff. 2. (b) 6. d. loc. aff. 2.

I V.

Autoritas 1. Avicenna, (a) qui, cum nonnullis à parte sinistra colicã haud incipere statueretur, falsum id esse, ejusq; contrarium se expertum testatum reliquit. 2. *Lælii à Fonte*, qui in *Illustri Juvencula* maiù hoc idq; fixum deprehendit in hypochondrio sinistro in regione coli, ea quidẽ in parte, quæ ventriculi fundo insternitur, hinc ad hypochondrium sinistrum tendens, lieni adstans. Id verò etiam non opinio suadebat fallax, sed ipsa post obitum facta sectio, quæ abfessum dicta in coli parte obtulit, planum fecit, quo de videatur ipse *Autor*. (b) 3. *Guilhelmi Fabritii*, (c) qui dolores colicos ut plurimum in sinistro latere observari, idq; accidere propter coli ea in parte cingustiam, per experientiam contestatur. *Cum enim excrementa*, ait, *in superiori & capacissima coli parte in globos magnos, prout capacitas intestini*

stini